

Christian Schlee Joannes Christophorus Castritius

[Disputatio Theologica De Fide, annuente Jehova


Rostochii: Reusnerus, 1611


<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn742474356>


Druck Freier  Zugang











Disputatio Theologica
de

FIDE,

annuente Jehova

Præfide

Christiano Stedano

SS. Theol. Doct.

et Prof. in academia

Rostock.

ad diem 9. Januar.

privatim respondebit


Joannes Christophorus Castritius
Renanus

Rostochii

episcopabat Christoph. Reusnerus
Anno 1664.

1664. 5.







DISPUTATIO
DE FIDE.



FIDES est habitus animi *Act. 8. 37.* operatione Dei *Col. 2. 12.* per verbum *Rom. 10. 17.* infusus, consistens & in verâ cælestis doctrinæ notitiâ *Col. 1. 9. 10.* & in ejusdem certo assensu *Ioh. 17. 8.* & in firmâ fiducia apprehendente *Rom. 4. 21.* sibiq; applicante *Gal. 2. 20.* promissionem Euangelii *Rom. 4. 16.* de gratuitâ remissione peccatorum in Christo: per quâ justificamur *Rom. 3. 25.* & propter quam opera nostra Deo placent. *Rom. 14. 23.*

Definitio

ΕΚΘΕΣΙΣ.

1. **FIDES**, Græcè Πίσις, ἀπὸ τῆς πίπεισαι, quod est à πείθομαι, do-DEFINITIO
ceor, persuadeor, ad fidem permoveor, plane credo. Cujus verbi I. ἰτρομο.
crebra sit mentio in Scriptura N. Testamenti, *Act. 17. 4. Gal. 3. 1.* λογίω.
Rom. 8. 38. 2. Tim. 1. 5. Latinis dici putatur à fiendo, quia id fiat,
quod ab alio dictum promissum vè est, ac si duæ istæ voculæ (Fiat,
Dictum) inter se essent in voce, **FIDES**, opulata.

2. Unde apud profanos scriptores vocabulum Fidei plerumq; II. ὁμοιω.
accipitur acti vè, pro veritate scilicet & constantiâ in promittente, *Luc. 16. 12.*
hoc est, in dictis & factis fideliter præstandis juxta istud Ovidii:

Et cum fortunâ statq; caditq; Fides,

Et Lucani:

Nulla fides unquam miseros selegit amicos.

A

Vio-

Vti etiã phrasæ istæ in communi loquendi usu sunt notæ: Fidem ser-
vare, Fidem fallere, &c.

3. In sacris literis ut plurimum vox Fidei passivè sumitur, qua
tenus scilicet Fides est affectus in audiente seu patiente, alterius
promissis respondens, quò dicentis veracitatem ac promissionem ac-
cipit, ejusq; fidelitati assensum præbet, certò statuens, quòd ea, qua
quis promissit, fideliter sit servaturus.

4. Interdum tamen, sed rarò, eodem sensu, passivè scilicet, hanc
vocem apud profanos auctores usurpatam legimus; ut est apud Ovid.

Deq; fide certã sit tibi certã fides;

active.

sicut è contrario eam in uno & altero Scripturæ loco offendimus in
activã significatione, videlicet pro veracitate & promissione dicen-
tis Psal. 86. 15. Rom. 3. 3.

5. Sed, hisce omisiss, libet præcipuas hujus vocabuli (FIDES)
significationes ex sacris literis colligere. Aut n. vox hæc sumitur,
ut dictum est, pro veritate & constantiã promissorum Rom. 3. 3.

Tit. 2. 10. aut pro totã doctrinã celesti Rom. 1. 5. 1. Th. 3. 10. aut pro

constantiã in religione retinendã in summis difficultatibus Rom. 1.

8. 1. Th. 1. 8. aut περὶ γεννητῶν, pro semine benedictò, per cujus faem

salvamur, seu pro plenã eorum, qua sub typis legalibus latebant &

Messiam venturum adumbrabant, revelatione. Gal. 3. 25. aut pro

fidelitate. 1. Tim. 5. 8. aut pro nudã ac solitariã alicujus rei noticiã

seu pro externã professione Luc. 2. 24. aut pro persuasione effectus

miraculosi, seu pro dono faciendorum miraculorum 1. Cor. 12. 9. &

13. 2. aut specialiter pro firmã animi fiantiã, qua in Dei miseri-

cordiã propter Christum promissã recumbit. 1. Ioh. 5. 4. Rom. 3. &

4. Gal. 3. & 4. Eph. 2. De qua fidei acceptione specialiori nos hoc

loco propriè loquimur.

6. Atq; hæc significatorum diversitas diversas Fidei distinctio-

nes nobis in Ecclesia peperit, quarum præcipua & communissima

est, quod Fides alia dicatur Historica, alia Hypocritica, alia Mi-

raculosa, alia Justificans seu Salvifica.

*Fides Hist.
in 2 Hypo-
critica.*

7. Hi.

7: Historica est nuda noticia eorum, quae in sacris literis de Deo ejusq; diuinis operibus historicè referuntur. Jac. 2. 19.

8. Hypocritica est doctrina diuinitus revelata qualem-
cunq; assensum praeberet, seu Christum ore confiteri, non tamen in eo
unicè acquiescere. Act. 8. 13;

9. Miraculosa est certa animi persuasio orta ex immediatâ
Dei promissione, dum quis certò credit, verè esse opus aliquod mira-
culosum diuinâ potentia euenturum, quod ipse in Dei omnipotentis
nomine vel fieri petit vel euenturam prædicat, Matth. 17. 20. I.
Cor. 13. 2.

10. Iustificans Fides in se præter historicam articulorum fi-
dei noticiam simul complectitur assensum & fiduciam.

11. Deinde Fides etiam distinguitur in Vivam & Mortu-
am; illa sensu coincidit cum Iustificante; hæc cum Historicâ. Differe-
runt autem & Efficiente; hæc enim est rationis opus & ex arte,
illa est solius Dei opus; & Prædicamenti; hæc non est nisi in Ca-
regoria Qualitatis, Noticia scilicet & Assensus; illa etiam in Rela-
tione, Fiducia; & Effectibus, hujus effectus sunt odium, fuga Dei,
pavor conscientiae, mors &c. illius verò, justitia, pax &c.

12. Alias Fidei distinctiones studiosè præterimus, ut
quòd Fides sit I. Firma vel infirma. II. Magna vel parua. III.
auxōritatē vel inōritatē. IV. πολωνάγη & vel ἀνάγη V. Tem-
poraria vel Durabilis.

13. In præsentia principaliter de Fide viva seu iustificante in-
stituitur disquisitio, ubi imprimis obseruetur, Cur Fides ut plu-
rimùm appellatione Fiduciae in V. Testam. exprimatur?
seu Cur Prophete maximè utantur verbo Fidere, Chri-
stus verò & Apostoli verbo Credere? Nō quidem res diver-
sas ista qualiscunq; verborū diversi-<sup>III. συνω-
νυμία.</sup>tas innuit, sed rem penitus eandē,
nōpe vivā in Deum fidē. Rationem diversitatis adferunt Theologi,
quia videlicet Prophetarum tempore in V. T. non tam necesse erat

Fides viva
morta

Fidere
credere

noticiam Dei, quàm potius fiduciam in Deum, quæ est potissima & difficillima pars Fidei, inculcare. Nam in V. Testamento Prophetæ suis concionibus docebant istum populum, cui doctrina de Deo Abraham, Isaac, & Jacob jam antè satis erat nota, nec facile quisquam ex illo populo erat, qui verum Deum Israëlîs negaret aut ignoraret, ut ut modus rectè colendi verum Deum non omnibus, præsertim idololatræ erat perspectus. Hinc subinde in Prophetarum commentariis ac præsertim in Psalmis legitur: Confidite in Domino: Fides sum: Paratum est cor ejus fidere, &c. At sub exordium N. T. non modò non Judæi veram de CHRISTO noticiam tenebant, sed nec gentiles, ad quos hæc doctrina erat transmittenda, doctrinam Ecclesiæ noverant; idcirco Apostolis illa potissimum cura incubuit ut antè omnia suis auditoribus Fidem noticiæ, sine qua non planè nec plenè fides fiducia tradi aut intelligi potest, proponerent. Cum enim ignori sit nulla cupido, prius Messiam rectè agnoscere, ejusq; doctrina assentiri oportet, quàm in eum cõfidere. Qua de causa Christus & Apostoli in suis concionibus plerumq; usurpant vocabulum Credere, quod & Noticiam & Fiduciam consignificat. Confer M. Flac. part. 1. de voce Fidei.

14. Cæterum cum maxima sit Fidei cum Spe cognatio, & sæpius duo isthæc vocabula promiscuè usurpentur, Rom. 8. 24 s. 1. Cor. 13. 10. Hebr. 3. 6. & 6. 11. & 10. 13. 1. Petr. 1. 13. & 3. 15. 1. Joh. 3. 3. eo quod Fides in Christo acquiescens non omnia in presentis accipiat, quæ quidè nobis Christus & merito suo acquisivit & verbo promisit, ut taceã, quod vetus Bibliorum translatio plurima Scripturarum V. in primis T. dicta per id Sperare reddiderit, quod magis propriè per id Confidere potuissent transferri; propterea opera nos precium esse facturos arbitramur, si hoc loco diligenter & accuratè perpendamus, Quid verè ac propriè sit Spes Christiana?

15. Rectissimè id ipsum assequemur, si prius cognoverimus, Quænam sit utriusque virtutis, Fidei ac Spei, & Convenientia & Differentia? Conveniunt I. Efficiente, Spiritu Sancto

Sancto, I. Cor. 13. Rom. 15. II. Objecto generali, Verbo Dei, seu, ut alius placet, Bono futurae beatitudinis. III. Subjecto, Animo scilicet seu corde hominis renati. IV. Duracione. V. raq enim virtus in altero seculo, ubi omnia erunt praesentia, cessabit. I. Cor. 13. V. Connexione inseparabili. Nec enim altera ab altera potest divelli, ut Augustinus in Enchirid. Fides, inquit, operans per dilectionem, sine Spe esse non potest, nec amor sine Spe: nec sine amore Spes: nec utrumque sine Fide,

16. Differunt. I. Ordine. Fides est prior non tempore, sed natura, uti Apostolus Rom. 5. pronunciat. Spem scilicet habere suum ortum ex Fide. Nec potest quidquam sperari, nisi quod prius credatur; credi tamen aliquid potest, quod non speratur. II. Objecto speciali. Fides occupatur circa res praeteritas, praesentes, futuras; uti series articulorum fidei in Symb. Apostolico testatur. Spes autem non nisi circa res futuras versatur. Accedit, quod Fides sibi bona promissa applicet & apprehendat, & versatur circa aeternam beatitudinem credendam atq; in praesenti amplectendam. Spes circa eandem, sed appetendam atq; in futuro capessendam. Similiter Fides est de rebus tam suis, quam alienis. Credo enim Creationem & meam & Angelorum. Spes autem est de rebus, quae tantum pertinent ad illos, qui rerum istarum spem fovont. Deniq; Fides est de rebus malis pariter & bonis; Spes autem est duntaxat bonarum; ut Metus malarum. III. Subjecto speciali. Fidei subjectum paulo post demonstrabitur, esse renati hominis & mentem & voluntatem; sicuti etiam Fidem exinde definimus assensum & fiduciam. Spei autem $\epsilon\gamma\omega\tau\omicron\nu\ \delta\upsilon\ \nu\lambda\omicron\nu\delta\upsilon$ est, Voluntas. Unde scholastici Spem retulerunt ad animi facultatem $\delta\epsilon\psi\chi\iota\kappa\eta\upsilon\sigma$.

17. Ex his, quae diximus, facile est colligere definitionem Spei: quod sit donum Spiritus sancti, quo salus fide credita & apprehensa, aliquando manifestanda, firma animi certitudine expectatur; seu Spes est certa & immota liberationis beatæ à Spiritu Sancto animis fidelium indita, expectatio.

DEFINI-
TIONIS
I. Genus.

18. De Genere non libet cum quobiam rigerose contendere. Si tamen ad Logicorum Canones omnino res esset reducenda & conformanda, vix genus dari posset aprius, quam dum Fidem definimus HABITUM, non tamen communem atq. Ethicam, sed Th. ologicum, hoc est, à Spiritu sancto in nobis accensum seu infusam.

19. Qui Noticiam, Assensum, & Fiduciam definiunt, haud in morose nos opponimus, praesertim cum istas tres Fidei, ut alias appellantur, partes seu gradus libenter amplectamur, tanquam constituentes ac perficientes essentiam verae ac salvificae Fidei.

20. Sed haec, quia leviuscula sunt, transeant; & Fidei Causas essentielles seriatim expendamus.

Causa
I. EFFI
CIENS
Principa-
lis;

21. Minimè verò Fidem in censum νομάων ἐνομένων seu noticiarum naturalium & communium, quae nobiscum sunt natæ, neq. inter ista νομάων, quae ex discursu rationis syllogisticae trahunt originem, sed inter χρησμάτων ac dona Dei, quae gratuito munere nobis divinitus obveniunt, referimus.

22. Est enim Fides & Dei & Nostrum opus.

Dei solius est, non Nostrum, ratione efficientis. Nec enim nostrâ operâ, nec nostris viribus ac voluntatis nostrae συνεργεία, sed efficiaci Dei operatione 2. Cor. 3. 5. Col. 2. 12. Ph. 2. 13. extitit. is solus cor lapideum aufert, Ezech. 36. 26, oculos dat ad videndum, Deut. 10. 4. mentem nostram aperit, Act. 26. 18. renovat, Ephes. 4. 23. dat credere in Christum, Ph. 1. 29. mensuram Fidei partitur. Rom. 12. 3. Hinc & Christus appellatur Fidei ἀρχὴ & ἀρχὴ Ebr. 12. & Spiritum sanctum Apostolus nominat Spiritum Fidei 2. Cor. 4. 13. Spiritum sapientiae, Eph. 1. 17. Rectè igitur ac pie Fides dicitur esse Dei opus, Joh. 6. 29. Dei donum, Eph. 2. 8. donum Spiritus Sancti 1. Cor. 12.

Nostra autem est Fides juxta illud Christi Marc. 9. Fides Tua te salvum fecit. Nostrum, inquam, est hoc opus Fidei, postquam jam existit & nobis est datum per Christum, ut credamus in ipsum. Phil. 1. 29. Hic

23. Hæc duæ maximè controversæ quæstiones sunt explicandæ.
Una ex parte nostræ; altera ex parte Dei. Ex nostrâ parte dubita-
tur, Num Fides sit donum naturæ? seu, An facultas quæ-
dam ^{ἐνεργητικὴ} nobis naturaliter inficit ad fidem gignen-
dam? Negativa tanquam Orthodoxa facile demonstratur, ex
mentis ac voluntatis naturali ^{ἀδυναμία} in rebus spiritualibus. Nam
si qua nobis esset ^{δύναμις} natura ad gignendam ac concipiendam fi-
dem Christi, ea resideret vel in mente, vel in voluntate, vel in utriusq[ue]
animæ facultate. Sed est in neutrà. Non in Mente; quippe
quam Apostolus ait esse ^{καρὰ φθῶρα} 2. Tim. 3. 8. ^{διὰ φθῶρα} 1. Tim. 6. 5. non intelligentem, Rom. 3. 11. nec ^{δευλῆν} noticiae salu-
ris de Deo, 1. Cor. 2. 14. Non in Voluntate; quippe qua omni habilitate
ac idoneitate cognoscendi laborat 2. Cor. 2. 5. est q[ue] figmen-
tum cordis duntaxat malum, Gen. 3. 21. & prævium, Ierem. 17. 90
Corfer disput. de Servo Arbitr.

24. Ex parte Dei queritur, Utrum æterna Dei electio
sit causa fidei prævisæ ac futuræ, an contrâ? Nostram de
hac controversiâ Orthodoxiam in articulo de Prædestinatione rh.
64. & 68. dilucidè ac ^{βελήτως} proposuimus. Cui id modò apponimus,
quod est in præceptis Logicis: Quædam dicuntur de toto, quâ totum
est; quædam de toto dicuntur propter aliquam ipsius partem, e. g.
Ecclesia est quasi totum constans ex Docentibus & Discipulis;
eo tamen nihil obstante, verè dicere licet, quòd Ecclesia generet tam
docentes, quàm discipulos Ex. 16. 20. 21. 1. Cor. 4. 15. Priori re-
spectu Ecclesia est q[ue] effectum; Docentes & discipulos sunt causa seu
partes Ecclesiæ; posteriori autem Ecclesia se habet ut causa, hi ut
effectum. Sic Electionis, quâ illa consideratur ut totum quoddam
complexum, fides est ut pars seu causa organica: eadem, est effe-
ctum Electionis, propter Dei misericordiam seu propositum &
Christi meritum, quod annunciat in Euangelio, ex quo est Fides.

25. Etsi verò non longe à præcedenti quæstione abest & illa,
Num Deus fatali seu absoluto quodam decreto Fidem
aliqui-

Wahr-fides
num Not

mens in
intellig

Wahrheit
na prævium

aliquibus conferat nec ne? ejus tamen explicatio loco conve-
nientiore paulò post subjiçiemus, ubi nobis prius de causâ organica
Fidei constat.

Instrumen-
talis.

26. Organa, per quæ Deus in homine Fidem ordinariè opera-
tur, sunt *AVDITVS VERBI & VSVS SACRAMEN-
TORVM*; Verbum inquam & Sacramenta sunt Fidei confe-
rendæ media, respectu nimirum Dei offerentis; Auditus & Usus
eorundem; respectu nostri apprehendentium.

27. Ordinariè dixi; quia iste ordo ut in adultis potissimum
valet, ita his, quæ extra ordinem consuetum ac vulgarem sunt, ni-
hil interim debet præjudicare. Sic nimirum Quo- nam modo,
quovè organo Deus in infantibus operetur fidem, quam
in illis esse infra demonstrabitur, utut nobis sit occultû & extraordi-
narium, absurdum tamen & impossibile non est habendum; id quod
exemplo Iohannis Baptiste in utero matris, Messiam præsentem
agnoscentis rectè fuit hætenus assertum, Luc. 1. 44.

28. Ordinariè autem fidem non esse nisi partim ex au-
ditu verbi prædicati, partim ex legitimo usu Sacramen-
torum patet tum generatim ex eo, quod Fides neq; nobiscum
nascatur, neq; per discursum rationis comparetur, sed sit propria
mysteriorum æternis temporibus tacitorum, quæ nisi nobis in ver-
bo Scripturæ fuissent revelata & oblata, nunquam de iis scientiam
habere ac fidem recipere potuissimus; tum speciatim.

I. De verbi prædicatione & auscultatione. Consulantur scri-
pturæ testimonia. Rom. 10. 17. Iohan. 5. 39. & 12. 38. Et 17. 8. 1. Cor.
1. 21. 2. 4. & 3. 5. 2. Cor. 10. 4. & 1. Th. 2. 13. 1. Tim. 4. 16. Act. 2.
37. & 8. v. 35. 37. & 10. 44. & 11. 20. & 13. 48. & 16. 14. & 17.
12 & 19. v. 4. 5. & 28. 24.

II. De Sacramentorum oblatione aut usurpatione Rom. 4. 11.
Tit. 3. 5. Vbi & istud notandum; Quibus organis fides augetur, iis-
dem quoq; acquiritur. Augetur verò usu Sacramentorum. Ergò
& acquiritur iisdem.

29. Ac

29. Ac speciatim quod Baptismum attinet, cerum est, nobis per ejus ministerium donari Spiritum Sanctum, itemq; nos regenerari, Iob. 3. 6. & peccatorum veniam consequi, Act. 2. 38. à peccatis mundari, Eph. 5. 26, salvari, Tit. 3. 6. 1. Pet. 3. 21.

Quod ad Eucharistici Sacramenti virtutem, ex ipsis Institutionis verbis docemur, nobis per illud tanquam per medium confirmari peccatorum nostrorum remissionem, & per hoc cætera quoq; beneficia, quæ eam comitantur & consequuntur. Hac autem Dei dona ac beneficia cum nobis offerantur Sacramentis median-
tibus, per eadem nobis quoq; conferatur necesse est Fides, utpote sine quâ nobis nec peccatorum remissio, nec regeneratio, nec cætera Dei beneficia, quæ recensuimus, obtingant. Confer disput. de Sacramentis, itemq; de Ministerio Ecclesiast. sub ^{ex} ^h ^{er} ^e ^s ⁱ ^{de} ^{caus.} ^{final.}

30. Ex quibus liquido constat, Num Fides à Deo immediatè tanquam per Enthusiasmos quosdam, & tacitas ac internas revelationes, an vcrò per externa & sensibilia media Verbi ac Sacramentorum conferatur? Posterius jam satis fuit demonstratum, & magis demonstrabitur; ubi constat, Verbum nè Legis, an Evangelii sit medium fidei conferendæ? Negamus esse Legis, quæ arguit peccatum & consequenter infidelitatem, operatur iram Dei in nobis, Rom. 4. 15. 1. Cor. 15. 56. Fides autem est gratiæ donum. Evangelion verò à salvi-
ficâ suâ efficacîâ cognominatur Gladius Spiritus, Eph. 6. v. 7. Verbis vitæ æternæ, Iob. 6. 68. Act. 5. 20. Ph. 2. 16. Ministerium Spiritus vivificantis 2. Cor. 3. v. 6. 8. Lex spiritus vitæ, Rom. 8. 2. Potentia Dei ad salutem, Rom. 1. 16. Lex libertatis, Iacob. 2. 12; eademq; de causâ comparatur semini fructificanti Luc. 7. v. 8. 11. 15. Matt. 13. 8. semini immortali 1. Pet. 1. 23. pluvia Os. 67. 10. Os. 6. 3. agricul-
tura. 1. Cor. 3. v. 6. 7.

31. Manifestum quoq; hinc evadit, An Deus absoluto quodam decreto fidem aliquibus concedat? Negativa, quam
B nostram

nostram facimus, nititur rationibus insequentibus I. quia Ordo & Absolutum decretum sibi invicem opponuntur. Vbi enim media sunt ordinaria rei conferenda, ibi negatur fatale & absolutum de eadem re decretum. Sed esse ordinaria fidei media divinitus instituta, fuit aliunde demonstratum. II. quia si Deus eorum, quo pari studio attendunt verbo, alteri fidem negaret, daret alteri esse *προσωπολιπτης*. III. quia si fides esset fatalis, tunc induceretur vel Desperatio, vel Epicureus verbi ac Sacramentorum contemptus. IV. quia promissiones de fide per verbum & Sacramenta conferenda essent ludibrium & sarcasmus.

32. Quod præterea hic queri posset de verbi divini auscultatione, lectione, ac meditatione conjuncta cum quadam animi *δεσπομια* seu cupiditate discendi, Utrum-nè homo non renatus verbum Dei serio & cum quodam discendi studio, remotis obstaculis, possit audire? ejus affirmativam in artic. de Servo Arbitr. probavimus; uti & hujus quesiti, quod ex precedenti inferri solet, An non prior ista affirmativa patrocinetur synergismo? negativam ibidem *βελουός* demonstravimus; ubi imprimis notetur, quod Auditus verbi non meriti, sed meditaneum habeat rationem; quod Fides non *ἄλλο τι ἄρχοσιν ἢ τῆς Ἰουλιαν*, sed *ἄλλο τι ἀρχοσιν ἢ τῆς Ἰουλιαν* detur: quod deniq; ista *ἀρχοσιν ἢ τῆς Ἰουλιαν* sit non spirituale & internum, sed carnale & externum duntaxat in homine studium, quod non motus pure spirituales in homine ciet, sed id solum ex se prestare potest, non ut quis efficiatur beator, sed tantum doctior juxta sapientiam hujus seculi.

II. MATERIA
RIA in
qua.

33. Materia seu subjectum Fidei est HOMO, seu, ut distinctius loquar, Mens & Voluntas hominis. In Intellectu est Notitia & Assensus; In Voluntate, seu, ut Scriptura loquitur, in Corde, Fiducia; quemadmodum eà de re in ectheli causæ Formalis prolixius agemus.

34. Queritur autem, Annon absurdum sit & impossibile

bile

bile Fidem tanquam virtutem numero unam in duabus distinctis animæ potentis collocare? *Et Scriptura sacra & quotidiana priorum experientia parum attendit ad istas subtilitates de potentis animæ. Scriptura enim sapius, quod menti est proprium, adscribit cordi, e. g. Noticias naturales, Rom. 1. 21 Deut. 29. 4. & contra, quod est cordis, menti tribuit, videlicet affectus & appetitus. Rom. 12. 2. Eph. 4. 23. Ad eundem modum, Fidem esse noticiam, & per hoc habitum intellectus est extra omnem controversiam: attamen Scriptura non dubitat eandem fidem attribuere Cordi seu Voluntati, Act. 8. 37. Prov. 3. 5. Experientia quoque didicimus motus mentis & voluntatis in tentationibus potissimum atque exercitiis pietatis sibi correspondere, ut, qualis est noticia & assensus in mente, tales insequantur motus & affectus in voluntate.*

35. Deinde in controversiam venit, An infantes post baptismum ante discretionis annos actualem Fidem simpliciter non habeant? *Habere illos suo modo fidem probatur I. quia Christus infantibus fidem attribuit, Mat. 18. 6. Marc. 9. 14. II. quia sola Fide induimus & apprehendimus Christum, tanquam filij Dei Gal. 3. 26. III quia infantes Christo adducti possident jus regni celorum, tanquam filij Dei, Matth. 19. 14. Marc. 10. 16. Luc. 18. 16. Eos autem oportet esse fide præditos, quorum est regnum celorum. Marc. 18. 16. Johan. 3. 36. Hebr. 11. 6. IV. Ut Circumcisio olim fuit infantibus in V. Testam. signaculum justitiæ fidei: ita nobis in N. T. Baptismus, Col. 2. 11. At nemo aliena, sed sua quisque fide iustificatur, Rom. 3. 22. 26. Gal. 2. 16. Eph. 2. 8. V. Totum genus humanum dividitur in Credulos & Incredulos Infantes à baptismo non possunt annumerari Incredulis, quorum non est regnum celorum, quod tamen ad infantes pertinet. Ergò credulis erunt accensendi. Et quem quisque sua fide vivat, Heb. 2. 4. propriam ut infantes habeant fidem, consequitur.*

36. Est tamen in transitu observandum, Num una sit Fides; quæ & adulti & infantes salvantur? Non differt eorum

B 2

fides,

Fides quoad substantiam; sed tantum quoad circumstantiam, & ita quibusdam accidentibus. Nam I. adultorum fides concipitur ex externo verbi auditu; In infantibus supplet Dei gratia, quod ipsi ex annorum defectu deest. II. Adulti & sciunt se credere & possunt se probare, an sint in fide. 1. Cor. 13. 5. Infantes, etiam si a Spiritum Sanctum in se habeant habitantem, & fide salvificet sine praeiudici: utrumque tamen ignorant, aequè ut suam & mentem ac vitam nesciunt, quam tamen habent. III. Adulti possunt fidem & re confiteri & opere declarare. Neutrum cadit in aetatem infantilem.

37. Praeterea gravis est inter Theologos concertatio, Cur adulti non omnes, etiam si verbum Dei audiunt & Sacramentis utuntur, fidem consequantur? seu, Cur verbum praedicatum non apud omnes fructificet? Causa istius defectus est non in Deo, qui omnes homines vult ad agnitionem veritatis pervenire. 1. Tim. 2. Nec in Christo, qui omnes ad se venientes non expellit foras. Job. 6. Nec in verbo Evangelii, quod semper bonum est semen, & sua natura fructificans, in quemcumque etiam agrum projiciatur. Luc 8. Nec in Sacramentis, quae ad fidem conferendam, augendam, & conservandam divinitus sunt instituta; sed culpa omnis unice residet in hominibus obicem Spiritui Sancto, fidem in eis operari volenti, ponentibus atque obstinate obstrepentibus. Cujus assertionis nostrae exemplum illustre nobis supeditat effectus Paulinae concionis apud Antiochenses, Act. 13. ubi gentes praedicantur credidisse, eò quòd verbum Dei attentè & singulari cum gaudio susceperint; v. 48. Iudaei verò non leguntur conversi, eò quòd animum habuerint invidia repletum, & Dei sermoni contradixerint. v. 46. Estque inter ipsos auditores non exigua differentia, dum videlicet non singuli, quando verbum Dei audiunt, praestant illud, quod praestare possent, & quo factò fidem Deus in eis operaretur. Aut enim propter commodum privatum conservandum, aut propter odium aliorum devitandum veritati non subscri-

subscribunt, Iob. 12. 42. aut non discendi animo, sed novitatis studio audiunt, Luc. 23. 8. Act. 24. 24. aut voluptatum carnalium speciebus impliciti, Luc. 8. aut aliarum opinionum præjudiciis fascinati, Act. 17. 21. Matth. 12. 24. verbum Dei audiunt, vel aliud inter agendum agunt ac meditantur. Et quis singula in singulorum hominum animis latentia posset recensendo assequi? sed hæc quoad individua exclamare oportet: O altitudo divitiarum! &c. Rom. 11. Verumenimverò in genere verè non minus, quam pie licet asserere, culpam defectus fidei in hominibus residere penes ipsosmet, quod verbum vel non audiant aut non eo modo, quo & debebant & poterant, audiunt. Etenim Scriptura quoties de isto Fidei defectu in nobis queritur, toties in nobis hominibus omnem culpam derivat, qui media fidei conferenda impunè respicimus, nec eadem legitime usurpamus. Matth. 11. 47. & 23. 7. Act. 13. 46. & 7. 51. Similiter & Salvator suos cives de infidelitate graviter accusat. Marc. 6. idemq; crimen vicinis civitatibus exprobat. Matth. 11. quæ tamen ex Christi ore plurimas conciones audiverant. Accedit deniq; quòd Deus rationem fidei non posset jure à reprobis in extremo die exigere, nisi causa istius defectus in ipsis haberet.

38. Deniq; ad id, Num quis Fidem penitus amittere possit? jam in aliis fidei nostræ articulis, videlicet in loco de Bonis Operibus, & in disput. de Prædestinatione affirmatè fuit à nobis responsum, & in illa assertione adhuc persistimus mori I. Exemplis & Davidis, Deo supplicantis, ne Spiritum Sanctum ab ipso auferat; Psal. 51. & Saulis, à quo Spiritus Iehovæ legitur recessisse, I. Sam. 16. & Hymenei & Alexandri, qui circa fidem fecerunt naufragium, I. Tim. 1. & crudelis istius serui, qui magnam præsumitur antè habuisse fidem, cum ingentis debiti condonationem fuerit consecutus; sed ubi postea propter crudelitatem, quam in suum consecutum exercuerat, fuit condemnatus, pristinam fidem amisisse quis negare audeat? Matt. 18. II. Absurdus, quæ ex asseveratione

illâ consequerentur, si quis diceret neminem posse à Fide, quâ semel est donatus, excidere. Etenim & auctoritas omnis confirmaretur, & crebra ista ad renatos de peccatis cavendis exhortationes omnino essent vanæ.

Circa quâ. 39. Materia circa quam seu objectum Fidei, hoc est, Res credendæ sunt omnia, quæ Deus nobis in suo verbo revelavit; Quæ ut variant secundum rerum credendarum, vel substantiam, vel quantitatem, vel qualitatem, vel circumstantias: ita varie inter se distinguuntur fidei objecta.

40. Secundum substantiam seu res ipsas, quæ in Bibliis continentur, Objectum fidei constituitur Generale partim, partim Speciale. Generale est omne Dei verbum, cui Fides assentitur, Hebr. 11. Unde fit, ut jam Evangelion, 1. Pet. 4. 17. jam Deus, 1. Ioh. 5. jam Christus eiusq; meritum, Joh. 3. 16. jam alia objiciantur Fidei. Speciale, cujus scilicet respectu Fides dicitur justificare, est sola PROMISSIO gratia Dei, seu est promissio Evangelii, promissio de CHRISTO, seu est CHRISTUS totus & solus, quem ipse Deus proposuit propitiationem, Rom. 3. 25. De quâ distinctione in artic. de iustificatione th. 33. prolixius fuit disputatum.

41. Secundum Quantitatem ratiō mōdō sunt alia temporalia, externa, & corporalia, ut sunt pax politica, rerum successus, sanitas, forma, victus & amictus, &c. alia sunt Aeterna ac Spiritualia, ut iustitia, salus, remissio peccatorum, &c.

42. Secundum Qualitatem rerum credendarum dicuntur objecta Fidei esse vel contraria, Rom. 4. v. 17. 18. vel invisibilia, Hebraor 11. 1. Ioh. 20. 29.

43. Secundum circumstantias temporum sunt ratiō mōdō vel præterita, vel presentia, vel futura: Exempla nobis suppeditant tres articuli Symboli Apostolici,

44. Est verò hîc notanda controversia, Utrum Fides possit res, quæ verè sunt absentes, facere, ut sint verè ac realiter præsentis. Respectu quidem ipsius promissionis, fidei dicuntur

tuntur omnia presentia, quippe quae ita firmiter amplectitur pro-
missionem in verbo factam, eiq. fidit, ac si jam esset adimpleta. Re-
spectu verò rerum promissarum, modus est non unus, sed distinctus,
quo bona promissa efficiuntur fidei presentia. Etenim res illae
pro ratione circumstantiarum temporis sunt vel praesentes, vel jam
praeterita, vel in futurum promissa. De praesentibus certum est,
siquidem tales sunt res credendae, non earum praesentiam dependere
à Dei promissione, non à fide nostrâ. Aliis enim est τὸν μέν πῆσις,
non contrâ. Nec res ideo est praesens, quia praesentem esse credos
sed ideo potius credo esse praesentem, quia a actu est praesens. Prae-
teritarum & futurarum rerum, de quibus est fides, praesentia non
est realis (quia earum non est realis existentia) sed tantum est
in imagine, dum videlicet fides certò sibi habet persuasum, res illas
tam verè & realiter vel fuisse vel fore, etiam si eo tempore, quan-
do creduntur, vel nondum sint, vel etiam olim fuerint, ac si jam ve-
rè & realiter existentia & praesentia realis existerent & coram a-
spicerentur. Atq. illo sensu nihil prohibet dicere, Fidei omnia esse
praesentia, videlicet propter divinae promissionis veritatem & con-
stantiam, non propter ipsarum rerum promissarum actualem exi-
stentiam. Hinc Fides definitur ⁱⁿ ^{re} ^{re} ^{re} rerum sperandarum, Ebr.
ix. 1. hoc est, coram sibi listens, & verè praesentia habens ea,
quae promissa sunt non eò, quòd sunt, (neg. enim actu jam sunt) sed
eò quo creduntur, id est, Fides facit non ut res actu praesentes sint,
sed firmiter eas in promissione amplectitur & apprehendit, haud so-
cus ac si praesentes adessent, & per fidem aspicerentur.

45. Sed hanc controversiam plenius pertractavimus in disput.
de Verbis Cœnae; ubi & alteram illam priori vicinam de FIDE
VOLATILI dedimus explicatam, Num videlicet Fides
in caelos possit evolare, ibidemque cor & sanguinem
Christi in administratione Eucharistica percipere?
Quod ipsum & Theologicè & Philosophicè negotio nullo potest re-
felli. Theologia simpliciter nescit eiusmodi Fidem extravagantem

rem, supra calos conscendentem, ibidemq; Corpus & Sanguinem Christi, tempore celebrationis Eucharistica apprehendentem. Sic enim duplex (ut cetera taceam absurda) Cœna Sacramentalis celebraretur. Vna hęc in terris, cum nudis elementis, altera in calis, sine omni elemento. Ex Philosophiæ principys didicimus, I. Fidem esse habitum mentis, adeoq; actum credendi non extra, sed intra mentem consistere, & nihil omnino extra mentem, posse à fide apprehendi. II. Intellectum non percipere res ipsas, sed earum tantum imagines. Fides autem est in intellectu; estq; credere actus intellectus.

46. Priusquam ad reliquarum causarum exordium progrediamur, libet initio naturam PROMISSIIONVM divinarum quas proprium esse diximus Fidei objectum, diligenter & explicatè cognoscere.

47. Promissiones divinae, sunt objectum & fundamentum fidei, atq; indissolubiliter coheret Fides & Promissio. ceu relatum & correlatum; siquidem ubi non est verbum promissionis ibi nec Fides esse potest; & contra ubi promissionis verbum, ibi Fides quoq; certa esse potest propter promittentis veritatem.

48. PROMISSIO attribuitur vel hominibus vel DEO.

49. Si hominibus, Deo aliquid pollicentibus, promissio idem est, quod obligatio seu VOTVM, quo votens ad reddendum vota sua Deo sese obstringit. Sed de Votis singularem disputationem antea instituimus.

50. Si Deo; tunc nihil aliud significat, quam divina vocis ac ac voluntatis de aliquo bono hominib. ad fruendum divinitus communicando revelationem. Atq; de ista Promissione hic propriè agimus.

51. Sunt verò duæ species divinarum Promissionum, Simplex & Mixta.

52. SIMPLEX est de rebus vel corporalibus, e. g. de feunditate, sanitate, serenitate, &c. vel spiritualibus, videlicet de Dei misericordiâ, justitiâ & vitâ eternâ. Illa.

53. Illarum promissiones sunt partim conditionales, Deut. 28.
partim gratuita. Esa. 38 5.

54. Harum alia sunt Legales, alia Evangelica.

55. Priores quia habent respectum ad opera nostra, sunt conditionales, hoc est, habent annexam conditionem perfectae obedientiae. Luca 10. 28. Gal. 3. 27. Quas promissiones ideo Deus nobis in hac corruptione fecit conditionatas, non quod eas praestare valamus, sed ut sciamus, quid Lex ex sese posset, si quis annexa conditioni satisfaceret.

56. Posteriores sunt vel *ἄπλως* universales & indeterminatae, vel limitatè universales ac determinatae.

57. Primum genus universalium promissionum agit de gratuita ac misericordiae Dei erga homines peccatores affectu, de missione Filii Dei ad genus humanum redimendum, de vocatione ac praedicatione Evangelii in omnes gentes, & de alijs caelestibus bonis, prout ea toti generi humano ex aequo offeruntur.

58. In secundo genere promissionum universalium considerantur eadem bona, prout scilicet ea ab hominibus apprehenduntur.

59. Quod nam igitur inter duo ista universalium promissionum genera intercedat discrimen, patet. Distinguenda scilicet ista sunt, non confundenda.

60. Prior illa indeterminata ostendit ordinem ut divinitus in negotio salutis praescriptum ac constitutum; posterior autem haec determinata eundem ordinem, sed non tantum ut constitutum, sed etiam ut à nobis usurpatum considerat. Etenim in omni promissione sese correlatè & ponunt & tollunt Beneficium promittentis, & Officium seu obsequium promissionem accipientis.

61. Proinde ut prioris generis promissiones sunt ad ordinem divinitus praescriptum limitatae & consequenter non absoluta ac simpliciter indeterminatae; sic posterioris generis promissiones non sunt simpliciter particulares, sed tantum resp. Elu mundi; resp. Elu autem credentium sunt universales, siquidem Deus vult salvare omnes, qui credunt.

Mixta

62. MIXTÆ Promissiones sunt rerum Corporalium pariter
& Spiritualium. Cujusmodi fuit promissio de semine benedicto, quæ
quatenus respicit Christum, tanquam semen benedictum & benedi-
cens omnes gentes, eatenus est Spiritualis atq; Evangelij proprias
quatenus verò fuit ad certam gentem, tribum, & familiam alli-
gata, eatenus est Corporalis & carnalem solum prerogativam de-
signat. Sic promissio de terrâ Canaan est corporalis, quatenus
certum locum & populum respicit; eadem est spiritualis, quatenus
statum Ecclesiæ Novi Testamenti, ad quem essent etiam aggregan-
di, quibus nulla unquam erat in terra Canaan portio, adumbrat.

III. FOR-
MA.

63. Formam totamq; naturam Fidei rectissime explicant res
isti, ut vocantur, gradus seu, ut alij indignant, partes. I. est $\gamma\omega\omega\iota\varsigma$
seu noticia divinarum promissionum de gratuita reconciliatione per
Christum Rom. 10. v. 6. 10. 1 Cor. 2. v. 12. 16. Gal. 4. v. 9.
Eph. 1. 18. 1 Joh. 2. 21. & 5. v. 13. 19. dicitur $\sigma\phi\iota\alpha$, $\delta\eta\lambda\omega\sigma\iota\varsigma$
 $\sigma\iota\varsigma$, $\sigma\omega\epsilon\iota\sigma\iota\varsigma$ Col. 1. v. 9. 10. 1 Corint. 1. 5. & 8. 7. Luc. 1. 77.
II. $\kappa\alpha\tau\alpha\lambda\upsilon\psi\iota\varsigma$, Assensus, quo quis promissionē gratiæ, quam quis esse
veram didicit, amplectitur eiq; assentitur. Joh. 17. 8. Rom. 9. v.
30. 33. 1. Joh. 5. 13. III. $\omega\delta\eta\sigma\iota\varsigma$, Fiducia certissima, fun-
data in Dei misericordiâ ac Christi merito, atq; in eo planè acquie-
scens sibiq; promissiones applicans. Gal. 2. 20. Rom. 4. 21. & 16.
22. Quæ & $\pi\epsilon\pi\iota\sigma\tau\eta\varsigma$ Rom. 8. 38. Eph. 3. & $\sigma\epsilon\iota\sigma\mu\alpha$ Col. 2. &
 $\pi\alpha\iota\sigma\tau\eta\varsigma$ Heb. 4. 16. 1 Joh. 5. 14. & $\epsilon\upsilon\sigma\tau\alpha\sigma\iota\varsigma$ Hebr. 11. 1.
nominatur. Quam fiduciam oportet esse non vanam, non dubiam,
non temerariam, sed 1. firmissimam certitudinem. 2. apprehens-
ivam, in qua fiat individualis applicatio ad nos. 3. quietativam,
quæ in solo Christo acquiescit. Vbi tamen notandum est, quòd, quan-
do Scriptura interdù unius partis seu gradus mentionem facit, tunc
reliquæ duæ $\sigma\omega\epsilon\iota\sigma\iota\varsigma$ ac tacite subintelligantur. [Es. 43. Confer
iterum Disput. de Iustificatione ch. 32, ubi explicatur controversia,
Num Fides sit nuda tantù animi noticia, quâ Christum
secundum historiam novimus? an simul sit per Fiduci-
am definienda? Itemq; negativam prolixè demonstravimus
dubi

dubitant, Num de Dei gratia ac promissionibus Euan-
gelicis conveniat dubitare.

64. Finem seu Effectum Fidei consideramus pro gemina eius
ἐνεργεία. Una est ἀγαθή & credentis propria, videlicet Christi iustitiā
in Euangelio a pprehendere: Altera est δόξα, quā Fides sese ergo
Deū & prōximum, mediante dilectione, exercet. Atq̄ ratione duarum
istarum ἐνεργειῶν duplices quoq̄ constituuntur effectus fidei. Alij
attribuuntur fidei, ut causa instrumentali; uti sunt iustificatio, salus,
Dei gratia, &c. Qui itaq̄ sunt Iustificationis, ydem quoq̄ sunt &
Fidei effectus, videlicet Pax conscientia Rom. 5. v. 1. 11. Gau-
dium Spiritus, Rom. 14. 17. Vita spiritualis, Ioh. 5. 25. Invo-
catio. Rom. 8. 15. & 10. 14. Alij attribuuntur eidem, ut causa
formali; ut sunt charitas & cetera bona opera, quorum mater, ra-
dix, genitrix est Fides Gal. 5. 6. quemadmodum in artic. de Ju-
stific. eā de re prolixius differuimus, ubi à nobis simul exposita
proposita q̄ fuere insequentis, qua & huc non incommodè referun-
tur, quæstiones.

I. An Fides necessariò requiratur ad actum iustificationis?

II. An Fides iustificet?

III. An fides possit esse absq; charitate; seu Num quis de fide
suā vere gloriari possit, quum tamen in peccatis contra consci-
entiam vivat?

IV. An Charitas informet fidem? An verò Fides ex se sit in-
formis & inefficax?


V. An Sola Fides? an verò Fides cum alijs virtutibus con-
iuncta iustificet?


VI. An propositio (Sola Fides iustificat) sit fidei ana-
loga? &c.


FINIS.



IV. F. E.
NIS.







dubitanti, Num de Dei gratia ac promissis
gelicis conveniat dubitare.

64. Finem seu Effectum Fidei consideramus
ἐνεργεια. Una est ἀληθινή & credentis propria, videtur
in Evangelio aprehendere: Altera est δολική, q̄
Deū & proximum, mediante dilectione, & dicitur. A
istarum ἐνεργειῶν duplices quoq; constituuntur eff
attribuuntur fidei, ut causa instrumentali; uti sunt
Dei gratia, &c. Qui itaq; sunt Iustifications, ἢ
Fidei effectus; videlicet Pax conscientie Rom. 5.
dium Spiritus, Rom. 8. 15. & 10. 14. Alij attribuuntur
formali; ut sunt charitas & cetera bona opera, qu
dix, genetrrix est Fides Gal. 5. 6. quemadmodum
stific. eā de re prolixius differuimus, ubi à nob
proposita q̄ fuerit insequentis, quæ & huc non inc
sur, quæstiones.

I. An Fides necessario requiratur ad actum j

II. An Fides iustificet?

III. An fides possit esse absq; charitate; seu
fuā vere gloriari possit, quum tamen in peccat
entiam vivat?

IV. An Charitas informet fidem? An verò
formis & inefficax?

V. An Sola Fides? an verò Fides cum alijs
iuncta iustificet?

VI. An propositio (Sola Fides iustificat) sit
logica? &c.

FINIS.

